



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institutioes Morales

In Quibus Vnivers[ae] Quaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1612

1 Quid sit donatio, & quid donationis nomine intelligatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14014

innominati. Exempli gratia, contractus innominati non valent, nec actionem producant, nisi ab una parte aliquid interueniat: quod si stipulatione firmetur, valent & amplius poenitentiae locus non est, etiam si nihil interueniat. *l. Ex placito. C. de rerum permutatione.* Et ita contractus innominati, per adiectam stipulationem fiunt nominati, & pariunt actionem. Denique stipulatio omnes contractus etiam nominatos, quibus accedit, validius firmat, & prodeicit actionem ad dandum, faciendum, vel praestandum, quod promittitur.

Tertio, Stipulatio omnis fieri potest, aut simpliciter, & pure, aut sub conditione, aut in diem certum, *Instit. de verb. oblig. §. Omnis stipulatio.* Quando pure fit, statim obligat, & peti potest id, quod promittitur: quando fit sub conditione, licet statim obliget, non tamen potest peti, quod promittitur nisi conditione impleta: verbi gratia, si spondeas te mihi daturum quinque aureos, si Titius fuerit consul. Hinc fit, ut si conditio sit rei praesentis, vel praeteritae, si res non sit, nihil valeat stipulatio, si verò ad sit, statim valeat. *Instit. de verb. oblig. §. Conditiones.*

Quarta, ut ibidem dicitur, Quae per eorum naturam sunt certa, non morantur obligationem, licet apud nos incerta sint. Verbi gratia, promittis te decem darium, si Caesar hodie sit Romae, vel si Titus consul fuerit, statim stipulatio valet quia in facto consistit.

Ceterum si Caesar non est Romae, aut Titius non fuerit Consul, nulla nascitur obligatio. Quando stipulatio fit in diem certum, licet statim obliget, non tamen potest peti, quod promittitur, quousque praeterierit dies, in quem est facta promissio, quia totus dies arbitrio solventis tribuitur. *Instit. de verb. oblig. §. Omnis stipulatio.*

Quarto, non potest quis ex iure cuius communi, alicui stipulari pro altero, nisi sit eius seruus, aut filius, vel procurator. *Instit. de institut. stipulat. §. Si quis alii. Et l. si procuratori praesentis ff. de verb. oblig. Sed, ut supra diximus cap. de pactis, promissio ab alieni facta est obligatio in conscientia, si sit iuramento firmata: & hoc ratione iuramenti, quod fit Deo.*

Item per Iudices, rebelliones, & alios huiusmodi publicos in iustos alteri acquiritur, *l. pro quo. ff. de in ius vocando.*

Item non valet stipulatio facta in genere de aliqua res, nulla te demonstrata. *ff. de iure dotium. l. cum post divorcium.*

Quinto, Stipulatio transit ad haeredes, *l. veteris. C. de contrahenda, & committenda stipulatione, quod, ut ibi ait Glossa, intelligitur, quando potest per alium praestare, quod est promissum.*

Ultimo, stipulatio pure facta, statim praesenti die quo est facta, obligat: sed peti non potest, quod est promissum, quousque dies hodiernus praeterit. *Instit. de verb. oblig. §. Omnis stipulatio. Et §. Cum quis.*

Hae de stipulatione sufficant, quia cetera in iure civili de stipulatione constituta, non ad forum conscientiae, sed ad forum duntaxat exterius pertinent.

1010

D E.

DONATIONIBVS.

Dibro trigesimo nono Digestorum, titulus quintus, ordine est, de donationibus, & libro octauo Codicis titulus 55. & Instit. lib. 2. titulus 7 & lib. 3. Decretalium, titulus 24. apud Gratianum verò distinct 86. cap. Non satis. & 16. quaestione 3. cap. Placuit, Canonici iuris interpretes tractare de Donationibus.

Quid sit Donatio, & quid Donationis nomine intelligatur.

CAPVT I.

DRIMO quaeritur, Quo modo donatio definiatur. Vlpianus Iurisconsultus in *l. ff. de donationibus*, sic habet. (Donationes complures sunt. Dat aliquis ea mente, ut statim velit accipientis fieri, nec vltro eas ad se reuerti, & propter nullam aliam causam facit, quam ut liberalitatem, & magnificentiam exerceat. Hae proprie donatio appellatur.) Ita eo loco.

Donatio debet esse gratuita, & liberaliter. Vnde in *l. Donari. ff. de regul. Et in l. Donari. ff. de donat. dicitur*: (Donari videtur, quod nullo iure cogente conceditur.) Nullo iure cogente, exponit Glossa, nec naturali, nec civili, nec praetorio. Donum, inquit, S. Thom. 1. par. q. 88. art. 2. est gratuita datio ex amore. Vnde secundum Azonem, & Hostiensium, Donatio est actus, quo res, alioqui licita, nullo iure cogente, gratis, & liberaliter in aliquem confertur. *l. Donari. ff. de donat. Et l. Donari. ff. de donat. Et l. Donari. ff. de regul. iur. & secundum iurisconsultum in l. Senatus. §. 1. ff. de mortis causa donat.* Donatio dicta est quasi domi datio.

Potest donatio fit dupliciter, aut traditione rei, quando sine vlla promissione praecedenti, quis rem suam alteri tradit, ut statim fiat eius: aut nudo pacto, & simplici promissione, quando quis promittit alteri, se rem ipsi traditurum, ut fiat ipsius, & haec olim stipulationem requirebat, nunc verò fit nudo pacto. *l. Si quis argentum. C. de donat.*

Secundo quaeritur, An donatio sit proprie contractus? Ratio dubitandi est: quia ex vna tantum parte obligationem producit, is enim, qui donat, eo ipso debet tradere ei, cui donauit: & is qui accipit rem sibi donatam, donatori nulla obligatione seipsum obstringit. Respondet eum Glossa in *l. Labeo, in lib. in verbo vltro citroque. ff. de verb. significat.* quam communiter approbarunt Bartolus, Baldus, Paulus, Albericus, Salicetus, Cumanus, Fulgosus, Aretinus, Sozinius, & Iason, ut testatur Iulius Clarus, *lib. 4. sentent. §. Donatio q. 1.* Respondet, inquam, Contractum accipi aliquando proprie, & strictius, ac pressius, atque is est, in quo vltro citroque obligatio, ut habetur in praedicta, *l. Labeo*, aliquando verò satis, & laxius, ut cum ex vna parte tantum est

obligatio, ut colligitur ex l. Iulianus. §. Si quis in pupillo ff. de actionibus empti, & vendi. & ex l. potest. ff. Mandati. Aliquando latius metitur, ut comprehendat quali contractum. Ut l. Si donationis. C. de his, que vi, metusue causa fiunt, transactio dicitur contractus.

Donatio igitur non est contractus primo, sed secundo modo, quia solum obligat donatorem ad rem tradendam. Vnde cum in l. contractus. C. de fide instrumento. & in l. Si donationis. C. de his, que vi, metusue causa fiunt. & in l. Si quis. C. de prescript. triginta, vel quadraginta annorum, & in l. Donationes qua. C. de donationi. inter viri & uxori Et in l. Curiales C. de praed. decurionum lib. 10. & in l. Censurus. C. de litigiosis, & in l. eum qui. ff. de donat. contractus vocatur, late, & fuse dicitur contractus.

Tertio quaeritur, An donatio sit contractus nominatus, an innominatus? Glossa in l. in actibus. §. i. in verbo Ex actibus ff. de donationibus dicit fuisse, olim pactum donationis habitum pro contractu innominato: sed nunc pro contractu nominato censeri. At enim communis opinio est, ut testatur Julius Clarus lib. 4. sententia. §. Donatio. quall. 1. olim & nunc, donationem fuisse, & esse nominatum contractum. Ita Bart. Angel. Alexand. lafon. & alii apud Iulium Clarum, quass. citata. Et ratio est, quia habet nomen propriam à ceteris distinctum, & parit actionem civilem, quae dicitur ex lege, vel ex pacto, vel ex donatione.

Quarto quaeritur, An donatio, quae dicitur Antidoralis Graecis, hoc est, remuneratoria, videlicet, ad remuneranda beneficia in nos collata, sit proprie & strictè donatio? Respondeo, Glossa in l. in actibus. §. consuluit in verbo (obligauerunt) ff. de petit. hered. sentisse, eam esse donationem proprie, quod probat ex l. Si vero, non remunerandi. ff. Mandati, quae Glossam sequitur Decius in l. Donari. ff. de regul. iuris.

Sed dicendum existimo ex communi sententia, ut testatur Couat. in cap. Cum in offic. n. 9. vers. Gloss. Bernardi de testam. & Iul. Clarus lib. tam dicto. q. 3. & Sozinus iunior consil. 64. n. 13. lib. 2. & Tiraq. in l. Si unquam. C. de reuocan. donat. non esse proprie donationem, ut aperte colligitur ex l. Attilius Regulus ff. de donat. quoniam, qui donat, gratis omnino, & liberaliter dat, sed remuneratoria donatio sit, propter beneficium quo aliquid bene de nobis meritis est, & fiat, ut gratum erga illum animum ostendamus.

Obicies, Antidoralis donatio sit nullo iure cogente, eaque est gratuita, & liberalis, ergo est proprie donatio? Respondeo, tamen si certum sit talem donationem fieri nullo iure civili, siue scripto cogente, dubitari tamen non potest quin fiat, ob causam ortam ex iure naturali trahebentem, videlicet ob merita, obsequia, & officia, quae in nos alius contulit, cui nos aliquid donando, gratum animum significamus. Vnde in l. sed et si lege. §. Consuluit. ff. de petit. hered. dicitur de iis, qui donant. (Quamuis ad remunerandum sibi aliquem naturaliter obligauerunt.) Quo fit, ut multa, quae ipso iure donationi conueniunt, locum non habeant in huiusmodi donatione, quapropter talis donatio valet inter patrem, & filium, quamuis nulla donatio inter eos subsistat, ut inferius dicam.

Item donatio reuocatur ob filiorum ortum, & tamen minime reuocatur donatio remuneratoria.

Item donatio certam quantitatem excedens, si fiat absque inscriptione, non valet: at remuneratoria donatio valet, & subsistit, ut postea demonstrabo.

Quinto quaeritur, An cum creditor debitum suo debitori remittit, eo ipso donare videatur? Idem est ac quaerere, an debiti remissio sit proprie donatio, & an qui donare quidpiam prohibetur, eo ipso prohibitus sit debitum remittere? Respondeo, debiti remissionem esse quandam donationem, ut colligitur ex l. Modestinus. ff. de donat. & id docet Panormitan. in cap. Statuimus, ad finem, de transaction. & in consil. 45. volum. 1. & Rebuffus in l. Rei. ff. de verborum significatione. Vnde quemadmodum donatio vi, & natura sua requirit, ut sit gratuita, & liberalis: sic etiam debitum remittitur gratis, & liberaliter, alioqui nulla erit remissio. Et sicut

is, qui praestit Ecclesiae, rem ipsius Ecclesiae donare, vel alienare, non potest, nisi certis in causis, sic nec potest remittere sine iusta, & debita causa id, quod debetur Ecclesiae. Et quemadmodum pupillus donare, vel alienare nequit, sine tutoris, vel Iudicis auctoritate, ita nec debitum remittere: nam creditorius habet ad rem sibi debitam, ac proinde eo ipso, quo debitum remittit, donat eiusmodi ius.

Sexto quaeritur, An cum quis repudiat aliquid, quod ad eum iure defertur, eo ipso id donare videatur?

Item, An cum quis renunciat iuri, quod ipsi conuenit ad rem aliquam consequendam, hoc ipso id donare videatur. In l. Magis puto. §. Fundum, de rebus eorum, qui sub tutela sunt, ita habetur: fundum autem legatum repudiare pupillus sine Praetoris auctoritate non potest: esse eum, & hanc alienationem, cum res sit pupilli, nemo dubitat. Et teste Alexandro in l. vero, in principio. ff. de solutionibus, Repudiatio, vel renuntiatio est quaedam alienatio: renuntiatio, inquit ille, quae praesupponit habitum de praesenti, perinde, ac si diceret: Cum quis renunciat iuri, vel rei vel bonis, eo ipso se abdicat eo, quod habet, vel eo, quod habere potest: ac proinde renuntiatio non est nisi rei, quae actus, vel spe habetur. Vnde fit, ut qui prohibetur aliquid alienare, eo ipso prohibitus sit ius ad rem repudiare, vel eo iure cedere: quemadmodum pupillus, sine tutoris auctoritate nequit repudiare hereditatem sibi iure delatam, ut nec Praelatus repudiare legatum Ecclesiae potest, nisi iusta de causa, quod si repudiet, cogi potest ad satisfaciendum Ecclesiae, Abbas in cap. tua nupte, de his, quae sunt à praetatis.

Septimo quaeritur, An sit proprie donatio, cum quis soluit id, quod ex nudo pacto, & simplici promissione naturaliter debet? Respondeo cum Glossa in l. Sed et si lege. §. consuluit in verbo obligauerunt. ff. de petit. hered. omnimode, quia donatio est gratuita, & liberalis, & talis solutio fit ex causa, videlicet, ut promissum, quod iure naturali debetur, impleatur.

Octauo quaeritur, An donatio sit iuris gentium, an verò iuris civilis? Est iuris gentium, quamuis aliqui iure civili multa sint de donationibus constituta.

Nono quaeritur, An donatio reciproca sit proprie donatio? Respondeo cum Glossa in l. licet in verbo (Mortuus causa) C. de pactis, minime: quam opinionem dicit esse communem Curtius iunior consil. 82. n. 3. & Iulius Clarus, lib. quarto sentent. §. Donatio. quall. 2. Et ratio est, quia donatio, emolumentum affert, & commodum, non onus, vel damnum, l. Si hereditatem. ff. Mandati. at donatio reciproca oneri est, veluti cum dono tibi centum aureos, si filius meus ex Alia saluus redierit: & tu mihi donas mille, si filius tuus consul creatus fuerit.

Decimo quaeritur, An donatio sit actus virtutis, & cuius sit virtutis actus? Respondeo, esse actum virtutis, videlicet liberalitatis, ut colligitur ex l. ff. de donat. Nam liberalis est, qui gratis, nullo iure cogente, dat, ut id, quod dat, fiat accipientis, & ea merite, ut nullo casu reuertatur ad se, vel datum, vel aliquid aliud pro eo.

